



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 5. Quænam ad recipiendum validè & cum fructu hoc Sacramentum  
requiruntur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



tiz Sacramentum præmitti debet Extremæ Uctioni, si possit: quòd si non possit, elicienda est Contritio perfecta; sed quia hæc difficilis est, & non raro abest, utriusque defectum supplet Extrema Uctio; modo adsit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet quanti sit momenti Extremam Uctionem recipere, cum illius ope salvari possit, qui alioqui fuisset damnatus, ut docet S. Carol. in Instruct. de hoc Sacramento.

4. Sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expedierit, confert. Trid. loco cit.

*Q. 5. Quenam ad recipiendum valide & cum fructu hoc Sacramentum requiruntur?*

*Resp.* Sufficit in homine iusto generalis illa voluntas recipiendi, qua unusquisque Pœnitens, & bene dispositus vult frui omnibus remediis ad salutem suam necessariis vel utilibus à Christo institutis, quamdiu scilicet non est retractata. Constat ex Rituali Rom. & praxi Ecclesiæ illud conferentis improvise, aliquo morbo oppressis, & sensuum ac rationis usu destitutis. Hanc autem voluntatem habere omnes Christiani præsumuntur. Ut tamen omnium venialium remissionem obtineat, requiritur saltem depositio affectûs ad illa. Sed quia nemo scit, an sit in statu gratiæ, & multa peccata occulta ex ignorantia aut inadvertentia culpabili committuntur, elicienda



est ab omnibus Contritio quam potest perfectissima.

Adde quòd ab homine rationis compote recipi debeat magna cum fide, fiducia, humilitate, conformitate cum voluntate divina, & reverentia.

Homo verò sibi mortalis culpæ conscius, præter voluntatem recipiendi Sacramentum saltem illam generalem & habitualem, præmittere debet Confessionem, si potest, vel si non potest, Contritionem perfectam. *In quo illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut, si tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.* ait Rit. Roman.

Q. 6. *Quibusnam potest & debet conferri Extrema Unctio?*

Resp. Iis solis, qui sunt in magno mortis periculo orto ex aliqua corporis infirmitate. Ex Jac. 5. *Infirmitur quis, &c.* ex Florent. & Trid. & qui habuerunt aliquando usum rationis, ita ut dari non possit nec debeat infantibus, & perpetuò amentibus, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Quia in illis locum habere non potest forma hujus Sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti:* cùm fuerint incapaces peccati personalis. Et quia cùm hoc Sacramentum sit consummativum Pœnitentiæ, supponit eum cui confertur, esse capacem Pœnitentiæ, tentationum & peccatorum actualium: